dicæ egit, ut hic ſtudiò iiſdem repetendis ſuperſedeamus, & unicè adhuc Capiti huic adjiciamus *Confectionis Succi Japonici* ſive *Catechu* deſcriptionem, quamplurimis hodie ſive ad ſalivam excitandam, ſive ad gratum odorem & guſtum conciliandum uſitatam.

℞. *Sacch. albiſſ.* ℥ij.
Succ. vel Terræ Catech. ℥j.
Moſch. oriental. ver.
Ambr. gryſ. Spirit. Roſ. ſol. ana gr. iij.
Mucilag. Gum. Tragac. Aqu.
Cinam. & Roſar. extract. q. ſ.
M. f. Confectio in Conulis inſtar muſcerdæ.
Dentur ad ſcat. Subindeque lambantur.

Sr. Japoniſcher Mauß-Dreck.

CAPUT XLI.

De Aphrodiſiacis Remediis.

§. 1.

Aphrodiſiaca remedia quid ſint?

A*Phrodiſiaca* Remedia apud Medicos audiunt ea, quæcunque Semen vel augent, vel acrius reddendo ad Venerem ſtimulant. Adeo ut Medicamina hæcce non conveniant, niſi illis, qui vel naturâ frigidiores exiſtunt, vel etiam à Morbo quodam impotentes fuerunt redditi, ita quidem, ut hinc vel omnem ad coëundum potentiam, vel ſaltem ejus majorem partem amiſerint. Hic verò Affectus apud Viros quidem appellatur *Impotentia*, apud Feminas autem *Frigiditas* aut *Torpor* nuncupari poteſt.

§. 2. Cùm autem *Impotentia* in Viris modò curabilis exiſtat, modò immedicabilis, prout apud *Eunuchos* ſive *Caſtratos*, vel eos etiam, quibus Genitalia

nitalia ab ipsâ naturâ flaccida manserunt: patet hinc, Remedia iis tantùm esse applicanda, in quibus aliqua recuperandæ potentiæ spes superest. Feminis verò frigidioribus Medicamenta hæc omni tempore præscribi possunt, ad venerem nimirum stimulantia.

Quæ ab hac Classe excludantur.

§. 3. Itaque sub nomine *Aphrodisiacorum* comprehendi non debent ea, quæ partibus genitalibus malè conformatis debitam configurationem restituere valent. Sed ea solùm in hanc admittimus Classem, quæ semen in Testiculis aut Glandulis prostatis vel etiam Vesiculis seminalibus augendo, aut ejusdem jam præsentis inertiam corrigendo, activitatemque spumantem & ebullientem resuscitando æstum venereum producunt. Quod quidem præstant omnia ea, quæ spumosum & copiosum laudabilem Chylum sanguini conciliant, sicque remotam in humoribus circulantibus materiam seminis adaugent, quemadmodum existunt ex esculentorum censu *Amygdalæ dulces*, *Nuces pineæ*, *Castaneæ*, *Pistacia*, *Dactyli*, *Ficus*, *Passulæ*, *Panis martius*, aut *mellitus*, *Carnes* item *teneriores*, *Cerebrum passerinum*, *Testes Gallorum*, *Ova sorbilia*, *Radices Plantarum bulbosæ*, inprimis *Orchidum* & *Satyriorum*: Quibus omnibus hodie præferri solet *Succolata Indorum* cum *Aromatibus benè ppta*, & hinc cum *Lacte Ovoq; sorbili* frequenter hausta. Quibus delicatis Cibis si superaddas generosum *Vini* sive *Malvatici*, sive *Hispanici*, sive *Cretici*, sive tandem *Frontiniaci* haustum, vel etiam *Rorem Solis Sabaudicum*, similemve alium Liquorem, tanto magis proficies.

Semen augentia.

Semen acuentia.

§. 4. Subinde tamen hæcce semen augentia minimè sufficiunt, quin adhuc jungere oportet acriora, & sale aromatico sive volatili oleoso pollentia;

lentia; ſemen nimirum ad turgeſcentiam veneream incitantia; quorum Claſſi annumeramus *Radices Apii Macedonici* ſive *Selini*, *Eryngii*, *Pimpinellæ*, *Siſari*, *Scorzoneræ*, *Carlinæ*, *Raphani ruſticani*, *Napi*, *Rapunculi*, item *Scolymos*, *Cochleas*, *Oſtreas*, *Aromata* & *aromatica* omnia, *Semen Sinapi*, *Erucæ*, *Moſchum*, *Ambram*, *Zibethum*, *Cochleariam*, *Naſturtium*, *Eſſentiam Satyrionis*, *Elixir vitæ Matthioli*, *Confectionem* aut *Elixir Radic. Satyrionis*, hujusque *Condituram*. Quibus aliquando addere licet, ſed cum magnâ cautione, *Cantharides*. Princeps quidam pro ſecreto habuit *Oleum deſtillatum Seminis Fraxini ad gutt.* v. *vel* vj. ſubinde pro doſi cum *Vino Hiſpanico* hauſtum. Aliis etiam in uſu ſunt magis compoſita & ppta, v. gr. *Electuarium Diaſatyrionis Confectio Alkermes completa*, *Rotulæ ſtimulantes*, *Mynſichti*, *Oleum Formicarum*. Tandem nec otium, cum uſu *Thermarum ſulphurearum* in hanc rem contemnendum venit.

§. 5. Quæ autem Veneri per maleficia aut veneficia ablatæ conveniunt *Aphrodiſiaca*, à *Clariſſ.* Wedelio recenſentur aliqua, in quibus eminent *Eſſentia Satyrionis*, item *Hyperici balſamica*, largiore doſi v. gr. ad ʒj. hauſta. Quibus addimus *Succum Herbæ Luteolæ* ſubinde ad ℥j. aut ij. aſſumtum. Huic tamen ſubſtituere licet, ſi haberi poſſit, *Succum foliorum craſſorum Ficus Indicæ*, cum *Eſſentiâ Satyrionis*, aut *Pulvere ſtimulante Mynſichti*, vel etiam tantillo *Cantharidum* aliquoties hauſtum. *Remedia adverſus incantationes.*

§. 6. Quod ſi autem Formulæ quædam *Aphrodiſiacorum* deſiderentur, ſequentes vel ſimiles inſervire poterunt.

℞. *Conſerv. flor. Anth.* ℥iß.
Confect. Alkerm. compl. ℥ß.
Condit. Zingiber. ʒij.

Nuc. Indic. ʒj.
Semin. Urtic. ℈iiij.
Ambr. gryſ. Spirit. Roſar. ſol. ℈ß.
Syr. de Cinam. q. ſ.
M. f. Electuarium d. ad Oll. Doſis ſubinde Nuciſtæ magnitudo.

Vel ℞. *Succolat. Indor.* ℥iß.
Confect. Alkerm. compl. ʒj.
Conditur. Rad. Eryng.
Satyrion. ana ʒij.
Ol. deſtill. Caryophyll. gtt. vj.
Syr. de Cinam. q. ſ.
M. f. Electuar. Cujus ſubinde Nuciſtæ magnitudo capiatur.

Vel ℞. *Conditur. Rad. Satyr.* ℥ß.
Eryng.
Piſtac. excorticat. ana ʒij.
Zingiber. condit.
Nuc. Indic. condit. ana ʒj.
Sem. Naſturt.
Eruc. ana ℈ij.
Confect. Alkerm. compl. ℥ß.
Piper. alb.
Caryophyll. arom. ana ʒj.
Cum Syr. de Cinam. f. Mixt. mollis. de quâ ſubinde Nuciſtæ quantitas capiatur.

Vel ℞. *Succolat. Indor.* ℥j.
Radic. Satyr. condit.
Pinear. recent.
Piſtac. excortic.
Confect. Alk. compl. ana ʒij.
Sacch. alb. Aq. Cinam. ſol. ℥iiij.
M. f. Confectio in Morſulis Oleo deſtill. Caryophyllorum irrorandis. D. ad Scat.

Vel ℞. *Eſſent. Satyr.* ʒiß.

Ambr.

Ambr. grys. Spirit. Ros. fact. ʒj.

M. ad Vitr. dosis noctu vel etiam interdiu gtt. xx. *ad* xxx. cum *Rore Solis* aut *Vino Malvatico.*

Vel ℞. *Essent. Hyperic.*
Ambr. grys. ana ʒj.

M. ad Vitr. Dosis ut antea.

Vel ℞. *Aq. Magnanimit.*
Borragin. ana ℥j.
Cinam. buglossat. ʒvj.
Julep. rosac. ℥ß.
Essent. Ambr. grys.
Satyr. ana ʒß.

M. ad Vitr. Dosis subinde noctu cochleare unum vel duo.

Vel ℞. *Spec. diambr.* ʒiß.
diamosch. dulc.
aromat. rosat. ana ʒj.
Semin. Eruc. ℈iiß. *Nasturt.* ʒß.
Succolat. Indor. ℥j.
Sacch. albiss ℥iij.

M. F. Trag. d. ad scat. Dosis noctu semper per cochleare plenum.

Vel ℞. *Radic. Satyr. condit.* ℥ij.

D. ad Oll. Subinde hinc aliquid deglutiatur.

Vel ℞. *Succolat. Indor.* ℥j.
Pistaciar.
Pinear. ana ℥ß.
Condit. Rad. Satyr. ʒiij.
Carlin. Zingib. ana ʒij.
Spec. diamosch. dulc. ʒiß.
Imperator. ʒj.
Sacch. opt. Aq. Cinam. sol. ℔ß.

M. F. Confectio in Morsulis. De quibus frequenter Tabella dimidia vel integra comedatur.